

nempe per excessum et per defectum, seu per præsumptionem et per desperationem.

*Præsumptio* est temeraria expectatio beatitudinis æternæ aut mediorem ad illam assequendam. Alia autem cum hæresi conjuncta est, v. g., si quis per solas naturæ vires salutem speret, sicut Pelagiani; vel per solam fidem sine operibus, ut Lutherani: alia ab infidelitate est immunis, ut si quis speret se fore salvandum per sanctorum intercessionem, aut per quoddam genus orationis, licet cupiditatibus suis indulgeat; vel si, auxilio misericordiæ divinæ innixus, pœnitentiam in fine vitæ sibi promittat, interea volens iniqua agere, aut conversionem magis ac magis differre, contra oraculum Spiritus sancti dicentis, Eccli. v, 8: *Non tardes converti ad Dominum, et ne differas de die in diem; subito enim veniet ira illius.* Præsumptio infidelitati conjuncta virtutem spei destruit: ab infidelitate immunis, juxta plerosque hanc virtutem non destruit, quia tunc in eo stat inordinatio quod recti motivi malus fiat usus.

*Desperatio* est diffidentia beatitudinem vel media ad eam conducentia assequendi: hæc etiam cum infidelitate conjungi potest, ut si quis judicet dari peccata irremissibilia, dicens cum Cain: *Major est mea iniquitas, quam ut veniam merear*, Gen. iv, 13; vel ab infidelitate est immunis, ut communius evenit, v. g., si quis putet se adeo peccatis involvi vel tentationibus impugnari, ut non nisi difficillime evadere possit, atque ideo animo deficiens, opera christiana abjiciat, se interficiat, ut Judas, etc. In priori casu virtus spei destruitur: in posteriori probabilius etiam destruitur, modo præbeatur consensus sufficiens ad peccandum mortaliter. An autem dari possit levitas materiæ, non constat.

Non tamen ut rei desperationis æstimandi sunt timidioris conscientia homines qui turbulentis animi motibus exagitati, diffidentia a Deo se accusant; attendendum est enim utrum, sine alia causa legitima, consueta pietatis officia neglexerint, nec ne: si prius, judicandi sunt plus minusve consensisse tentationi, proindeque plus minusve

rei juxta negligentia gradum; si posterius, rationabiliter judicatur eos non consensisse, aut ad summum imperfectum fuisse eorum consensum.

9° Qui ita paratus est ut præferret in præsentī vita semper degere, si posset, et cœlum Deo relinquere, mortaliter peccat, quia revera spem non habet.

## ARTICULUS TERTIUS.

### DE CHARITATE.

Vox *charitas* multiplici sensu accipi potest, nempe pro dilectione etiam mala, qualis est amor meretricis; pro dilectione bona in ordine naturali, ut amor propriæ uxoris; pro amore Dei erga homines; pro amore nostro erga Deum: qui amor potest esse naturalis, vel supernaturalis, habitualis vel actualis; concupiscentiæ, si Deum ut nobis bonum diligamus; vel benevolentia, si illum ut in se bonum et perfectum amemus. De charitate hoc ultimo sensu accepta nobis agendum est.

Charitas autem proprie dicta est virtus theologica divinitus infusa, qua Deum propter se, nos vero et proximum propter Deum, super omnia diligimus. Dicitur 1° *virtus theologica*, quia habet Deum pro objecto immediato; 2° *divinitas infusa*, quia vires naturæ superat, et effectus est Spiritus sancti, juxta hæc Apostoli verba, Rom. v, 5: *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum*; 3° *qua Deum propter se*, et in eo differt a virtute spei qua Deus propter nos amatur et desideratur; 4° *nos vero et proximum*, etc.; qui enim sincere amat Deum propter se, amat ea quæ ad ipsum pertinent: porro nos et proximus ad Deum pertinemus: Deum igitur perfecte diligere non possumus, quia eo ipso et nos et proximum propter ipsum diligamus; 5° *super omnia*, quod duplici modo fieri potest, scilicet *appretiative*, si Deus super omnia bona æstimetur; et *intensive*, si actus amoris erga Deum vehementior sit quolibet alio affectu. Amor appetitivus Dei propter se veram constituit charitatem.

Duplex igitur est objectum charitatis: Deus, qui est

objectum primarium; et proximus, qui est objectum secundarium. Itaque dicemus 1° de charitate erga Deum, 2° de charitate erga proximum, et 3° de vitiis charitati oppositis. Quidquid ad nos respicit, ex dicendis sufficienter intelligetur.

§ I. — De charitate erga Deum.

Dicemus 1° de ipsius natura, et 2° de ejus præcepto.

Punctum primum. — De natura charitatis erga Deum.

Patet ex notatis, veram charitatem esse amorem Dei perfectum, in eo situm ut Deum diligamus quia est amabilis, propter ipsius perfectiones, prout lumine supernaturali innotescunt. Non tamen necesse est ut beatitudinem nostram excludamus, vel ab illa abstrahamus. Deus enim optime spectari potest in se bonus, et simul ut solus nos beatificare valens: tunc adest simul motivum specificum charitatis, videlicet bonitas Dei in se spectata, et motivum spei, seu amoris concupiscentiæ, id est, beatitudo nostra in Deo possessio.

Compatibilitas utriusque motivi in eodem amore a nemine negatur: at Quietistæ contendebant amorem charitatis non fieri perfectum nisi per totalem amoris spei exclusionem, quod fuit condemnatum, ut supra diximus. Bossuet, in sua disceptatione cum Fénelon, dixerat amorem ex puro motivo charitatis, sine respectu ad possessionem Dei, impossibilem esse, quia homo propriam felicitatem in cunctis actibus suis necessario quærit; sed in hoc ab omnibus desertus est, seipsum reformavit, et doctrina puri amoris, quam tuebatur Fénelon, generaliter fuit admissa, sive in Gallia, sive Romæ, etiam ab iis qui librum ejus damnaverunt. Vide *Œuvres de Fénelon* variis in locis, et præsertim, *Analyse de la controverse du Quietisme*, 3 part., t. 4, p. CLXXIV.

Ille amor vera et proprie dicta est amicitia inter Deum et hominem; nam ad constituendam veram amicitiam tres requiruntur conditiones, nempe 1° benevolentia amantis, qui amat non propter semetipsum, sed propter qualitates

amati: unde ridicule diceretur quod quis veram habeat amicitiam ad vinum vel ad equum quem ob proprium commodum vel oblectamentum habet; 2° ut sit mutuus; proprium est enim veræ amicitiae ut corda uniantur ac mutuos experiantur affectus, et illa reciprocitas est vinculum unionis; 3° inde sequitur quamdam communicationem inter eos existere debere; aliter enim vera amicitia concipi non potest. Porro tres illæ conditiones in vera charitate reperiuntur: 1° amor benevolentiae, siquidem, ut diximus, Deus non diligitur ut nobis bonus, sed quia bonus et perfectus est in se; 2° amor mutuus: *Qui diligit me, inquit Christus, Joan. XIV, 20, diligitur a Patre meo, et ego diligam eum*; 3° quædam communicatio; homo enim Deum diligendo, se totaliter dat ei, et Deus, per suam gratiam ac beatitudinis æternæ promissionem, sanctam et sublimem cum homine instituit societatem, juxta hæc Apostoli verba, I Cor. I, 9: *Fidelis Deus per quem vocati estis in societatem Filii ejus, Jesu Christi Domini nostri*. Ergo charitas perfecta vera est amicitia inter Deum et hominem. Unde Jacob. II, 23: *Abraham amicus Dei appellatus est*; Psalmista, Ps. CXXVIII, 17: *Nimis honorificati sunt amici tui, Deus*; et Christus ad discipulos, Joan. XV, 14: *Vos amici mei estis..... jam non dicam vos servos.... vos autem dixi amicos*.

Hinc facile intelligitur charitatem esse omnium virtutum excellentissimam, 1° quia Deum attingit modo perfectissimo, et merito B. Paulus dicit, I Cor. XIII, 13: *Nunc manent fides, spes, charitas, tria hæc: major autem horum est charitas*; et Colossens. III, 14: *Super omnia autem hæc charitatem habete, quod est vinculum perfectionis*; 2° quia fides et spes compatiuntur peccatum, non vero charitas; impossibile est enim veram existere amicitiam inter Deum et hominem qui illum offendit, nisi peccati veniam obtinuerit; aliunde probavimus in Tractatu de Pœnitentia contritionem charitate perfectam semper justificare; 3° quia charitas est forma aliarum virtutum, non quidem essentialis seu intrinseca, quasi sine ea non essent, quod fuit error Jansenii; sed extrinseca, eo sensu quod

absque charitate cæteræ virtutes sint mortuæ et ad salutem nos conducere non possint; 4<sup>o</sup> quia a justificatione est inseparabilis, non autem aliæ virtutes.

Optimæ hujus virtutis habitus augeri potest sine termino, ut concil. gen. Viennense, Clement. l. 3, tit. 3 definiit adversus Beguardos et Beguinas, qui contendebant hominem in præsentî vita talem perfectionis gradum acquirere posse, ut impeccabilis esset et in gratia proficere non posset; hocque probari potest 1<sup>o</sup> ex Scriptura sacra, Philip. 1, 9: *Et hoc oro, ut charitas vestra magis ac magis abundet in scientia et in omni sensu*; 2<sup>o</sup> ex concil. Trid., sess. 6, c. 10; illud autem caput totum est de acceptæ justificationis incremento; 3<sup>o</sup> ex usu Ecclesiæ, quæ dominica 13 post Pent. orando dicit: *Da nobis, Domine, fidei, spei, et charitatis augmentum*.

Hoc incrementum non fit extensive, quia minima charitas totum objectum sine ulla exceptione amplecti debet, sed intensive seu per majorem voluntatis adhæSIONem; illud etiam semper comitatur major divinarum perfectionum intelligentia, quæ, operante gratia, multum ad ipsius charitatis augmentum confert.

Quodlibet peccatum mortale charitatis essentiam destruit, cum peccatum mortale et charitas in eodem subjecto simul existere non possint: peccatum vero veniale eam non destruit, sed minuit, non quidem intrinsece, verum extrinsece et indirecte, quomodo, ut aiunt, ligatura brachium ab opere retardat, licet totam vim intrinsecam ipsi relinquat. Unde hoc peccatum animam reddens minus expeditam ad vincendas tentationes et ampliores gratias actuales ab ea elongans, paulatim ad destructionem charitatis habitualis ducit, peccatum mortale præparando.

Punctum secundum. — *De præcepto charitatis erga Deum.*

1<sup>o</sup> Dari hujusmodi præceptum ab omnibus aliis præceptis distinctum ambigi non potest; id enim probatur 1<sup>o</sup> Scriptura sacra, Matth. xxii, 37: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et in tota anima tua, et in*

*tota mente tua. Hoc est maximum et primum mandatum*; 2<sup>o</sup> Ex S. Aug. qui, Conf. l. 1, cap. 5, ait: « Quid tibi » sum ipse, ut amari te jubeas a me, et nisi faciam iras- » caris mihi, et mineres ingentes miseras? Parvane ipsa » est miseria, si non amem te? » Eodem sensu loquuntur alii Patres. 3<sup>o</sup> Ex sequentibus prop. ab Alexandro VIII damnatis anno 1665; « Homo nullo unquam vitæ suæ tem- » pore tenetur elicere actus fidei, spei et charitatis, ex vi » præceptorum divinorum ad eas virtutes pertinentium, » An peccet mortaliter qui actum dilectionis Dei semel » tantum in vita eliceret? condemnare non audemus. » 4<sup>o</sup> Ex ratione. Cum enim Deus summum sit bonum, a quo omnia procedant et ultimus finis noster, sola ratio dictat eum vere et propter se amandum esse, nec sufficere ut ipsius mandata sine interna dilectione impleantur. Ergo.

2<sup>o</sup> Conditiones illius amoris sunt: ut sit internus, summus, efficax et purus. 1<sup>o</sup> Internus, ut patet; est enim actus voluntatis, *ex toto corde*. 2<sup>o</sup> Summus appetitive, videlicet ut Deum præ cæteris rebus æstimemus, et parati simus omnia potius pati quam illum saltem graviter offendere; alioquin eum non diligeremus *ex toto corde, in tota anima, in tota mente, ex tota fortitudine*, ut habetur in Deut. vi, 3, et talis est sensus verborum Christi apud Matt. x, 37: *Qui amat patrem aut matrem plus quam me, non est me dignus*. Communius tamen docetur necessarium non esse ut ille amor sit *intensive* summus, id est, ut Deum vehementiori affectu diligamus quam patrem, matrem aliamve quamlibet creaturam, licet hoc valde sit optandum, et periculum sit ne majorem appetitionem transferamus ad creaturam quam ardentiori dilectione prosequeremur. 3<sup>o</sup> Efficax; quia perfectus amor non tantum importat simplicem complacentiam in divinis perfectionibus, sed firmum animi propositum ea faciendi quæ Deus præcipit, et vitandi quæ prohibet, saltem sub gravi. Unde Christus, Joan. xiv, 15: *Si diligitis me, mandata mea servate*; et ipse B. Joannes, I Epist. v, 3: *Hoc est charitas Dei, ut mandata ejus custodiamus*. 4<sup>o</sup> Purus, id est

ex motivo charitati proprio, seu ex ipsa Dei bonitate in se spectata : sic generaliter theologi, qui dicunt amorem concupiscentiæ, quo Deus ut nobis bonus amatur, charitatem nunquam constituere posse, imo et Deum ita propter beatitudinem diligere, ut, si hoc deesset, Deus super omnia non diligeretur, mortale esse peccatum habituale. Notandum est autem considerationem bonitatis Dei erga nos sæpe nos deducere posse ad considerationem hujus bonitatis in se spectatæ, et sic ad charitatem perfectam nos præparare.

3<sup>o</sup> *Certum est* 1<sup>o</sup> charitatem habitualement necessariam esse ad salutem necessitate mediæ, cum nemo salvari possit absque gratia sanctificante, quæ ab ipsa charitate habituali separari non potest. Thomistæ contendunt gratiam sanctificantem a charitate realiter esse distinctam; *Tournely* et alii plures volunt eas virtualiter tantum distingui : omnes autem conveniunt eas separari non posse. Nullum etiam est instans in quo Christianus charitatem habitualement habere non teneatur, quia nemo licite manere potest in statu peccati mortalis.

*Certum est* 2<sup>o</sup> præcepto charitatis actualis per solam mandatorum observantiam non satisfieri, sed actus positivos hujus virtutis saltem aliquando eliciendos esse, ut theologi generaliter docent, et ex momentis supra allatis evidenter sequitur.

*Certum est* 3<sup>o</sup> hoc præceptum obligare frequentius quam singulis quinquenniis, ut patet ex condemnatione sequentis prop. ab Innocentio XI, anno 1679 : « Probabile est » in singulis quidem rigore quinquenniis per se obligare » præceptum charitatis erga Deum. »

4<sup>o</sup> Communiter theologi docent puerum tunc moraliter teneri actum elicere charitatis, quando, post adeptum plenum rationis usum, hæc obligatio sufficienter ipsi proposita fuit, vel saltem quando Dei bonitatem et actuum relationem ad Deum sufficienter apprehendit. Item præceptum charitatis obligat in periculo mortis, quia eo instante homo ad finem suum ultimum magis tendere debet. Insuper sæpe obligat in decursu vitæ, sive per se, sive

per accidens : charitas enim præcipua est virtus qua tendere possumus ad finem propter quem creati sumus. Verum quoties iterandi sunt actus charitatis ut præceptum impleatur, non sibi consentiunt theologi : quidam arbitrati sunt eos singulis diebus iterandos esse, quia Christus voluit ut Oratio Dominica quotidie recitaretur, et convenienter recitari non potest quin actus charitatis eliciatur, dicendo, v. g., *adveniat regnum tuum* ; alii vero communissime hanc sententiam rejiciunt, ut pote fundamento destitutam ; probari enim non potest Christum præcepisse ut Oratio Dominica quotidie recitaretur, nec eam sine actu perfectæ charitatis convenienter recitari non posse, v. g., a peccatore qui gratiam suæ conversionis impetrare desiderat.

Communius tenetur hoc præceptum singulis diebus dominicis et festivis cultui divino consecratis obligare ; non tamen sub peccato mortali, nisi omissio longa esset, v. g., per spatium unius mensis. Vide *S. Ligorium*, l. 2, n. 8.

5<sup>o</sup> Quoniam tamen in hoc puncto nihil ut certum definiri potest, hortandi sunt fideles ut actus fidei, spei et præcipue charitatis sæpissime eliciant, sive orando, sive meditando, sive de Deo cogitando aut loquendo. Ut eos ad utilissimam hanc praxim efficacius induceret, *Benedictus XIV*, per rescriptum 11 decembris 1754, septem annos et totidem quadragesimas indulgentiarum animabus in purgatorio detentis applicabilium concessit, toties lucrandarum quoties actus ejusmodi virtutum recitarentur, in qualicumque formula, modo propria earum motiva exprimerentur, et indulgentiam plenariam in una die mensis lucrandam ab eo qui singulis diebus hujus mensis prædictos recitaret actus, sub solitis conditionibus peccata confitendi, sacram Eucharistiam suscipiendi et precandi.

6<sup>o</sup> Necessè est igitur, ex verbis rescripti *Bened. XIV*, et ex decreto congr. Indulg. diei 28 januarii 1756, ad lucrandas indulgentias, actus prædictarum virtutum vocibus exprimere ; ad satisfaciendum vero divino præcepto actus interni, positivi et sinceri sufficiunt. Qui ergo in gratia sanctificante sunt constituti et Deo ferventi animo

serviunt, actus fidei, spei et charitatis sæpissime, etiam non advertentes, eliciunt, ac proinde in periculo præceptum transgrediendi non versantur. Qui, e contra, tepidam ducunt vitam, peccati omissionis in eo genere sæpe fiunt rei. *A fortiori* qui peccato mortali remanent inquinati, præfato charitatis præcepto satisfacere nequeunt. Non tamen obligantur hanc omissionem explicite declarare, quia confessarius eam ex declaratione aliorum peccatorum facile intelligit.

7<sup>o</sup> Constat, ex dictis in Tractatu *de Gratia*, cap. 3, art. 1, § 3, neminem, seclusa speciali revelatione, certo judicare posse se habere gratiam sanctificantem, seu charitatem habitualement; quædam tamen sunt signa quibus aliquis rationabiliter præsumere potest se gratia sanctificante donari, ac consequenter Dei amicum esse.

§ II. — De charitate erga proximum.

Agemus 1<sup>o</sup> de dilectione proximi in genere; 2<sup>o</sup> de amore inimicorum; 3<sup>o</sup> de ordine in charitate servando; 4<sup>o</sup> de elemosyna, et 5<sup>o</sup> de correctione fraterna.

Punctum primum. — De dilectione proximi in genere.

Nonnulli laxiores casuistæ obligationem diligendi proximum per falsas interpretationes labefactare conati sunt, dicentes nos illum actu interno et formali diligere non teneri, et satis esse ut externa ipsi exhibeamus beneficia, sine ulla interiori benevolentia.

PROPOSITIO.

*Proximum interiori benevolentia actu diligere tenemur.*

*Prob.* Ex Scriptura sacra, auctoritate Innocentii XI ac cleri Gallicani, et ratione.

1<sup>o</sup> *Ex Scriptura sacra.* Christus enim, Matth. xxii, 39 : ait : *Diliges proximum tuum sicut teipsum*; et Joan. xv, 12 : *Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos*; B. Joannes, I Ep. iv, 21 : *Et hoc mandatum*

*habemus a Deo, ut qui diligit Deum, diligit et fratrem suum.* Multa alia citari possent. Porro hæc verba interiorum affectum evidenter significant. Ergo 1<sup>o</sup>.

2<sup>o</sup> *Auctoritate Innocentii XI*, qui, anno 1679, sequentes damnavit propositiones : « Non tenemur proximum diligere actu interno et formali. Præcepto proximum diligendi satisfacere possumus per solos actus externos. » Eisdem propositiones clerus Gallicanus damnavit in comitiis anni 1700. Ergo.

3<sup>o</sup> *Ratione.* Qui unam personam perfecte diligit, eo ipso amat, amore proportionato, personas ad eam attinentes, nempe uxorem, filios, famulos et generatim omnes qui in societate ejus sunt vel fieri possunt : porro omnes creaturæ rationales ad Deum pertinent, in societate ejus sunt aut fieri debent, exceptis dæmonibus et damnatis : ergo.

Hinc patet quid nomine proximi intelligendum sit ; videlicet ii omnes intelliguntur qui æternæ beatitudinis sunt capaces vel ea jam fruuntur, ut Angeli, Beati in cælo regnantes, animæ in purgatorio, et maxime homines viatores sive justis, sive peccatoribus, sive concivibus, sive extraneis ; quod manifeste expressit Christus, docens, Luc. x, 37, agendum esse erga extraneos sicut Samaritanus erga hominem qui in latrones inciderat. Unde *S. Aug.*, Epist. 155, n. 14 : « Proximus sane, non sanguinis propinquitate, sed rationis societate pensandus est, in qua socii sunt omnes homines. »

Ut dilectio proximi sit legitima, tres habere debet conditiones, ex *S. Th.* 2 2, q. 44, art. 7 ; nimirum debet esse sancta, justa et vera. 1<sup>o</sup> *Sancta*, id est, ut nos et proximum propter Deum, in ordine ad beatitudinem cælestem diligamus : « Ille veraciter amat amicum, inquit *S. Aug.*, *Serm.* 346, qui Deum amat in amico, aut quia est in illo, » aut ut sit in illo ; 2<sup>o</sup> *Justa*, scilicet ut proximo non condescendamus in aliquo malo, sed tantum in bonis ; sicut inclinationibus nostris consentire non debemus, nisi in bonis. 3<sup>o</sup> *Vera*, hoc est, ut proximum non diligamus propter utilitatem nostram vel delectationem, sed ut bonum ei velimus, sicut bonum nobismetipsis volumus.

« Nam, ut ait *S. Thom.* in loco citato, cum quis diligit » proximum propter suam utilitatem vel delectationem, » non vere diligit proximum, sed seipsum. »

Hinc patet quam multi proximum debito modo non diligant, ut præcepto charitatis satisfaciant.

Non tamen necesse est ut singulos homines singulari affectu prosequamur, nisi aliqua speciali ratione nobis sint conjuncti, ut parentes, superiores, benefactores; sed sufficit actus generalis dilectionis quo beatitudinem cœlestem et bona ad eam plus minusve directe conducentia omnibus ad illam vocatis exoptemus, et quantum in nobis est procurare intendamus. *Non diligamus enim verbo, neque lingua, sed opere et veritate*, I Joan. III, 18.

Si ergo in Scriptura et apud Patres quandoque mala peccatoribus exoptentur, vel exoptari videantur, id intelligendum est vel, 1<sup>o</sup> de modo prophetico, ita ut mala non exoptentur, sed evenienda prædicantur, quod agnovit *S. Aug.* contra Faustum, l. 16, cap. 22: » Maledicta, » ex prophetia dicuntur, non sunt de malo voto imprecantis, sed de præscio spiritu denuntiantis; » vel 2<sup>o</sup> de exoptatione malorum temporalium, ut improbi eis pressi convertantur: vel 3<sup>o</sup> de legitima vindicta, non peccatoris, sed criminum in honorem æternæ justitiæ; vel 4<sup>o</sup> de imprecationibus contra regnum peccati, et non contra homines peccatores; quo sensu *S. Aug.*, de Serm. Domini in monte, l. I, cap. 22, n. 77, dixit: « Quis audeat affirmare, cum » illi sancti candidati se vindicari petierint, utrum contra » ipsos homines, an contra regnum peccati petierint? »

Quomodo autem et quando hoc præceptum amoris supernaturalis proximi obliget ad actus internos explicitos, non omnino constat. Certum est illud obligare saltem quoties necesse est ad præcavendum odium vel offensionem proximi, aut ad implendum opus misericordiæ supernaturalis, vel etiam naturalis, quæ solo amore naturali difficile exerceri posset. Si ultra urgeat, sane impletur ab eo qui Orationem Dominicam attente recitat. Exigit etiam ut semper simul parati ad opera charitatis exercenda, juxta hæc B. Petri, I Epist. IV, 8, verba: *Ante omnia mutuan*

*in vobismetipsis charitatem continuam habentes; et jam citati B. Joannis: Non diligamus verbo, etc.*

Quatenus autem est negativum, præceptum istud prohibet quoscumque actus etiam internos amoris benevolentiae recte et secundum Deum intellecto oppositos.

Duplex est generalis regula duplicis hujus præcepti, a Scriptura tradita et ratione nota; scilicet: 1<sup>o</sup> *Omnia quaecumque vultis (rationabiliter) ut faciant vobis homines, et vos facite illis*, Matth. VII, 12: 2<sup>o</sup> *Quod ab alio oderis fieri tibi, vide ne tu aliquando alteri facias*, Tob. IV, 16.

Punctum secundum. — *De dilectione inimicorum.*

1<sup>o</sup> Certum est gravem existere obligationem inimicos id est eos qui nos vel nostros oderunt, aut aliqua injuria affecerunt, affectu interno diligendi; nam 1<sup>o</sup> beatitudinis æternæ sunt capaces; comprehenduntur igitur sub nomine proximi. 2<sup>o</sup> Christus, Matth. V, 43, dixit: *Audistis quia dictum est: Diliges proximum tuum et odio habebis inimicum tuum. Ego autem dico vobis: Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos*; in cap. XVIII, 35, declarat Patrem cœlestem non dimissurum esse iis qui fratribus non remiserint, atque voluit ut in Oratione Dominica diceremus: *Pater noster... dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris*. Quibus verbis grave contineri præceptum unanimes est Patrum et doctorum sententia. Ergo.

2<sup>o</sup> Inimicis ergo exhibere debemus communia dilectionis signa quæ aliis ejusdem status, conditionis et qualitatis præstari solent, quia sunt proximi nostri; et aliunde hæc negare propter inimicitiam, esset actus vindictæ et manifestatio odii. Unde tenemur inimicum salutantem resalutare, interroganti respondere, emere volenti vendere, in communibus orationibus et eleemosynis eum includere, communia officia vel obsequia ei præstare, etc.; idque sub gravi vel sub levi, prout, attenta personarum, locorum aliarumque circumstantiarum conditione, contemptus reputatur gravis vel levis.

3<sup>o</sup> Excipiendi sunt casus in quibus charitas vel justitia

aliud prudenter suadet, vel rationabilis causa excusat : 1<sup>o</sup> enim charitas aliquando suadet ut communia dilectionis signa denegentur inimico si nempe sperandi sit locus, ut ex hac denegatione contristatus, emendetur, vel timendi ne ex his signis deterior fiat, vel ne occasionem inde sumat jurgia iterandi, novos contemptus manifestandi, etc. 2<sup>o</sup> Justitia aliquando suadet ut superiores communia charitatis signa pro tempore denegent inferioribus a quibus graviter fuerunt offensi, ut eos juste puniendo, ad resipiscentiam, emendationem et æquiores in posterum agendi rationem adducant. Sic quotidie videmus parentes e domibus suis ejicere, ad aspectum, colloquium, convivium aut consortium admittere nolle filium qui, contra eorum voluntatem, matrimonium indignum contraxit, vel aliquam exercuit actionem quæ familiam gravi dedecore afficit : qui autem sic agunt, non ex odio vel animo vindictæ, sed ob delinquentis correctionem, vel ob familiæ honorem, vel ad procurandam majorem aliorum cautelam, non peccant, nec a sacramentis arceri debent, modo absit scandalum, et reconciliationem in perpetuum negare non intendant, sed tantum eam differre quoadusque ad reorum emendationem et aliorum utilitatem expedire videbitur. Ita *Layman*, *Sporer*, *Ferraris* et alii. 3<sup>o</sup> Rationabilis causa excusare potest, v. g., pater aut mater aspectum occisoris filii vitare possunt ; non ex odio, sed ne illius præsentia nimium excitet horrorem : si quis consortium et quamlibet familiaritatem cum propriæ uxoris vel filiæ aut sororis stupratore fugiat, ne alias videatur infamiam talis actionis non satis detestari, excusatur ; item si moraliter certus sit inimicum non esse resalutaturum, responsurum, etc., eum salutare, interrogare, etc., non tenetur.

4<sup>o</sup> Specialia dilectionis signa per se loquendo inimicis præstare non tenemur ex præcepto, sed tantum ex consilio, v. g., eos ægros visitare, mœstos consolari, hospitio vel convivio excipere, ad familiare colloquium admittere, obviam factos salutare, eis indigentibus succurrere, pecunias commodare, etc. Ita *Busenbaum*, *Ferraris*, *S. Ligorius* et communiter alii.

Diximus *per se loquendo*, quia, ob varias circumstantias, specialia dilectionis, signa inimicis exhibere debemus, v. g. 1<sup>o</sup> ad vitandum scandalum, si nempe negatio hujusmodi signorum habenda sit ut odii effectus, inimicitiam concitatura sit, etc. ; 2<sup>o</sup> si ratio existat sperandi fore ut exhibitio alicujus specialis signi charitatis animum inimici sibi vel Deo reconciliatura sit ; 3<sup>o</sup> si inimicus in extrema vel gravi necessitate constitutus speciali charitatis officio indigeat, tunc adest obligatio gravitati necessitatis proportionata ei succurrendi, juxta quod præcipitur Prov. XXV, 21, et hæc prorsus similia B. Pauli verba, Rom. XII, 20 : *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum, si silit, da illi potum.*

*De reconciliatione cum inimicis.*

1. Qui alterum signo, verbo vel facto exterius offendit, tenetur ex charitate remissionem offensæ exterius petere, per se, vel per alium, nisi aliqua ratione legitime excusetur ; quia qua ratione charitas fuit destructa, eadem reparari debet. *Ita omnes.* Tenetur insuper, ex justitia, ad convenientem satisfactionem pro injuria et reparationem pro damno illato, nisi offensus et læsus remittat.

Diximus *nisi aliqua ratione legitime excusetur*, v. g., quia veniam petere non posset sine infamia, dum offensio fuit occulta ; quia offensus est absens, nec facile conveniri posset, et alia non suppetit via ei convenienter satisfaciendi ; quia offensio non fuit gravis, vel offensus petitionem veniæ non curat ; quia inter offensum et offensorem fuit compensatio injuriarum ; quia offensus nimis superior est offenso, ut ab isto veniam convenienter petat : tenetur tamen aliis viis animum læsi sibi reconciliare, puta, aliquo beneficio aut benevolentia signo. *Sic passim doctores.*

2<sup>o</sup> Si ex utraque parte existerint injuriæ, vel fuerunt moraliter æquales et simultaneæ, vel non : si prius, uterque inimicus tenetur, data occasione, reconciliationem inchoare per salutationem, colloquium, invitationem, etc. Unde, ait *Ferraris*, v<sup>o</sup> *Virtus*, n. 2, « generaliter loquendo, inter æquales, is debet prius salutare et alloqui, qui